

NOTARVM

IVRIS SELECTARVM

LIBER, EX SVBCESIVIS

FR. DAVYDARGENTE

Antecessoris.



DEVOTO NEMINI DIVE

IVLIOMAGI ANDIVM

Apud ANTONIUM HERNAULT
Regis & Academiae Typographum

M. DCXIII.

Edel Diego D. D. de Arago.

ILLVSTRISSIMO SAPIENTISSO.
CANCELLARIO GALLIARVM. D.
BRVLARTO, LEGVM, IVSTITIÆ,
ET DISCIPLINÆ PVBLICÆ CVS-
TODI, CENSORI GRAVISSO. LITE-
RARVM ET STVDIORVM PARENTI,
REGIÆ HENRICI REGIS INVICTISS. IN
SCHOLAM ANDIVM LIBERALI-
TATIS ASSERTORI, ET IN SACRO
PRINCIPIS AVDITORIO TER-
VINDICI. AD PERPETVAM REI
MEMORIAM, ET GRATIARVM
ACTIONEM, HOC MONIMENTVM
LITERARIVM POSVIT, DECIMAM
HANC DE SVIS LABORIBVS SA-
CRAVIT FR. D. DARGENTE AN-
TECESSORVM DECANVS.

DEVOTO NOMINI EIVS

DE INTERDICTIS.

INTERDICTA sunt Edicta, decreta Prætoria, formula, Iudicia de possessione non de proprietate, siue album prætoris inspicias, in quo proposita erant Interdicta l. i. C. de Interd. siue formulam editi Interdicti ad litigantes, & formulam dati recuperatoris, siue ordinem huius iudicij, solam hinc possessionem disceptari videbis. Et propter interdicta scribitur in l. i. s. huius D. uti possid. *Separata debet esse possessio à proprietate*, tum in l. Naturaliter D. de acq. possess. *Nihil commune habet proprietate cum possessione*, quo forsitan alludit lex. quaestio de verb. sign. *Possessio ab agro iuris proprietate distat, quia possessio usus est, ager autem proprietate loci est.* Quanquam is locus ad tributaria & stipendiaria prædia pertinere videatur. Non sic in alijs diffidet possessio à proprietate: Imo dominij partes duæ sūt, proprietate & possessio, ad eodē ut possessio sit pars vel maxima dominij. Vnde usufructus pars dominij est, quia possessionem habet, quæ est potior & melior pars vel effectus dominij, qui sensus est l. 4. D. de usufr. Nostri quoque Iureconsulti, in titulis De rerum diuisione l. r. D. de acqu. possess. l. ex hoc Iure D. de Iustit. Et iure, putant ex occupatione & possessione dominia cepisse originem Iure gentium. Aliter Theologi ex assignatione & diuisione Patriarcharum. Ea propter in dubijs causis, ex possessione præsumitur dominium, in dubio possessor censetur dominus, in l. siue possidetis C. de prob. Sicut è contrario per dominium, acquiritur, nascitur possessio, & possidendi ius, atque actio, ad hoc ut possessio vacua domino relinquatur. Ex quo efficiunt interpretes in l. qui usufructu D. de verb. oblig. Dominium non esse absque usufructu, vel causali, vel formali, id est absque possessione vel naturali vel ciuili. Hac ratione dominium à possessione non magis separatur, quam res à causâ, fine, materiâ, & effectus suo. Id autem verum est in concreto, (ut nonnulli obscure) vel potius in ipso rerum usu, iure & situ: Non sic in litibus, quia lis de possessione separatur à causâ proprietatis, Prætorque in interdictis, querit non de dominio, sed de possessione tantum, vel adipiscendâ, vel retinendâ vel recuperandâ. Idcirco in ijs nec agendum, nec probandum, nec pronuncian-
Possessio
& pro-
prietas.
Possessio
à proprie-
tate sepa-
ratæ.